



**S**anctus Gothardus in Bauaria natus su o tem-  
 Spore pietate & doctrina nulli inferior extitit.  
 Itaq; primò in Athach monasterio Bauariæ, deinde  
 in Hirsfelden abbas electus fuit. Eum S. Heinrichus  
 mirum in modum ob uirtutes dilexit, atq; ad  
 omnis generis honores promouit. Cum itaq; Hilde-  
 sheimēsis Ecclesia uacaret, in eo loco omnium  
 consensu episcopus constitutus est. Verùm is ma-  
 gna constantia reuuit, atq; sua sorte contentus esse  
 maluit. at Heinrichi Cæsaris autoritate uictus,  
 tandem consensit. Erat is multis uirtutibus orna-  
 tus, atq; unicè studebat ut indies melior euaderet.  
 Fundauit plurima monasteria & sacras ædes, atq;  
 Xenodochia in sua diocœsi, inter quæ & S. Mauritiij, & S. Andreae extabant,  
 quæ multis redditibus & prædijs exornauit. quanquam is placere omnibus,  
 & displicere nemini studeret, tamen ut iura sui Episcopatus tueretur cum Ari-  
 bone Moguntino Archiepiscopo aliquot contentiones habuit. Itaq; cuncta  
 ad Conradum Cæsarem delata, qui sententiam Franckofurti in principū con-  
 sensu pro Gothardo dixit. Præfuit is magna laude in sua ecclesia annos qua-  
 tuordecim, atq; anno 1038, inter uiuos esse desijt. Is post nonaginta quinque tan-  
 dem annos, ab Innocentio 2 pontifice canonizatus, & in sanctorum nume-  
 rum relatus fuit. Anon. Crantz.